



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 69. Maurorum classis a Lusitano Rege profligata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI
A. C. 1509.

placuit Monacho horum iudicium; hinc ipse recta Regem supplex adiit, a quo etiam literas accepit, quibus Ximenius supplicantis voto satisfacere rogabatur. Nihilominus Cardinalis cum hanc causam ad summum Pontificem deferri, ac operosius tractari pertimesceret, præfato Franciscano proposuit, Orani Collegiatam Ecclesiam esse construendam, ejusque primam dignitatem unacum Abbatibus titulo, ac pinqui pensione eidem conferendam; cum vero is oblata acceptare renueret, Ximenius ea antiquitatis monumenta, in quæ inquire jusserat, Regi exposuit, atque supplicavit, ut res in eo statu, quem antea habuerat, permaneret, idque Regi gratum, ratumque esset. Annuit Ferdinandus, nec ultra huic negotio sese ingerere voluit; idcirco prætentum illum Orani Episcopum, quod oblatam sibi a Cardinale compositionem acceptare recusasset, sera nimis poenitentia subiit.

§. LXIX.

Maurorum classis a Lusitano Rege profligata.

Ser. Osor.
hist. Eman.
Maff. hist.
Indic.

Inter hæc Franciscus Almaida Indiarum Pro-Rex tum adversa Lusitanorum fortuna, tum Laurentii de Almaida Filii sui morte commotus omnes, quotquot colli-

colligere poterat, naves instruxit, atque Sæcul. XVI.
 Onoræ portum prætervectus, Dabulem A.C. 1509.
 ingressus est, ubi omnes Calecutiensis ~~Thuan. hist.~~
 Regis naves ceterasque, quas in portu lib. I.
 repererat, combussit, demum capta ac Raynald.
 expilata Dabulis urbe hoc anno die quin- hoc ann. n. 30
 ta Januarii e portu solvit, Diurnum versus, 31. 32.
 quo hostium classis confugerat, navigatu-
 rus. Mirocemus priori victoria elatus
 atque hostem suum in portu præstolari,
 turpe ratus, naves suas in altum educi
 jussit. Jamjam inter utramque classem
 non nisi tantum intercesserat spacium,
 quantum sat esset ad certamen tormen-
 tis eminus inchoandum; verum cunctis re-
 pente ventis quiescentibus, noctisque te-
 nebris importune ingruentibus, prælii
 discrimen ad alteram diem remittebatur.
 Tum vero pertinax utrinque pugna com-
 mittebatur, atque ex utriusque classis tor-
 mentis horrendus globorum imber emit-
 tebatur, ancipiti identidem fortuna, do-
 nec tandem penes Christianos sine con-
 troversia staret summa victoriæ. Cæsa
 sunt in hoc prælio Barbarorum plusquam
 quatuor millia, tresque naves majores
 præter duo navigia rostrata, duasque tri-
 remes, & quatuor onerarias cum innu-
 meris fere aliis minoribus fuere qua ca-
 ptæ qua submersæ.